

144

142

148

qui illa pericula subeunt pro amore et honore divino. Sed
cum rem hanc diligenter cum ratione ponderarem, inveni, quod
prudens et sancta mater Ecclesia hoc sacrosanctum Eucha-
ristiae sacramentum non vult confici, nec conservari in navibus,
et pluribus rationibus. Primo quia hoc sacramentum non est
sacramentum necessitatis, sed sufficit ad salutem habere votum
suscipiendi tempore et loco oportuno. In navi autem non est
locus oportunus, ut patebit, etsi sit tempus: quamvis et ipsum
tempus pro omni (B) momento sit inconveniens. Secundo:
quia ibi non est proprius sacerdos, a quo singulariter est hoc
sacramentum suscipiendum, sicut jura decernunt: parochia
enim, ad quam navis devolvatur, ignoratur: ideo dimittitur.
Tertio: ibi non potest conservari Eucharistia; nam panes
solidi et magni et bene in cibano decocti non possunt durare
in navibus, sed quam statim post paucos dies liquecunt et
marcescunt; quanto minus possent species panis tenuissimi et
non bene decocti manere. Nam tempore humido non possent
sacramenti species tribus horis manere, quin essent resolutae
in pastam liquidam. Ita enim contingit de bapiro, quae penitus
inutilis fit tempore humido. IV. Eucharistia debet conservari
in ecclesia et loco sancto; navis autem non est ecclesia, nec
locus consecratus; nec aptus conservationi. V. Circa sacra-
mentum Eucharistiae debet semper ardere lumen, quod in
galēa esse non potest. Tantus enim est impetus ventorum
et aquarum abundantia, quod saepe totam galēam involvit, et
lumen nec in latebris nec in lucernis potest conservari. VI.
Non debet Missa celebrari, nec Eucharistia conservari in
galēis propter incertitudinem periculorum; subito enim, et in
ictu oculi adveniunt tempestates, quibus advenientibus navis
importune movetur, et si sacerdos in altari staret, non posset
subsistere, nec calix posset manere, nec tabula, aut mensa
altaris; sed in momento continget omnia everti. VII. Propter
ventorum importunitatem, quo flante lumina ardere non possent,
et corporale cum aliis altaris mappis de ara ejicerentur. VIII.
Propter incertum illapsum aquarum, quae nunc hic nunc illuc
diffunduntur; etiam ad parvum ventiflatum, dum non speratur,
nec timetur, illabitur aqua galēae copiose, et quae contingit,
confundit; ideo Missa non habetur in navi. IX. Propter

Ende

Anfang